

sicuti non esse una, et malum eis est, et malorum maximum. Nam non esse unum, est esse divisum. Esse autem divisum, ex propria extrahit natura, atque hyparxi. Unum ergo esse singula, idem est, cum eorum bono, cum eorum optimo. At hoc unum, venit eis a primo uno. Ergo ab eo venit etiam eorum bonum. Atque ita primum unum entia, et bona facit. Vidit enim, quæ fecerat, et erant valde bona, et bonum eis omnium est causa. Igitur, et ipsum primum unum, bonum est. Non enim a malo, aut a non bonum, bonum provenire, sui natura potest. Ergo et ipsum bonum est. Bonum inquam, et in se, et sibi, et aliis. Bonum hoc, primum unum est. Ergo et primum bonum est. Ergo primum unum, et primum bonum idem est omnino. Et qua unum, entia facit, et qua bonum, bonum entibus facit. Et qua primum sunt, et qua faciunt, principium quoque sunt. Hæ enim duæ principii erant proprietates. Ut primum esset, ut efficientiam haberet. Ergo unum bonum, principium, una, eademque res est. Ut enim antea demonstravimus, unum, et principium idem esse, ita nunc, quia unum, sit bonum, principium, et bonum idem erunt. Igitur hæc quæ videntur tria, unum, bonum, principium, una, eademque res est. Et quamvis tribus eam dicimus nominibus, unum tamen, et idem sunt. Nullam enim fas est in unum, quod unum tantum sit, cadere distinctionem, aut differentiam. Non actu, ne unum quod unum tantum est, multitudinem in se habeat. Non potentia, ne unum imperfectius sit, quam ea quæ ab eo procedunt actu omnia. Nulla ergo in unum cadit divisio. Est enim omnium simplicissimum, et undequaque non nisi unum. Et quamvis, et hæc tria ei tribuantur, et alia, ut sit, et causa prima, et primum, et simplicitas, et potentia, et perfectio, et alia: omnia tamen unum sunt; et omnia ei, uti uni insunt, et uniter, et une, et indistincte. At hæc omnia, si ut uni ei insunt, inerunt ne ei quoque, uti principio? Aut uti principiata? Si ita, ipsum et principium erit, et principiata. Quod si sit, vel non unum erit amplius, vel et unum erit, et non unum. Et quod unum tantum esse debebat, unum erit non unum. Verum, et maius quiddam in dubium venit. Si unum hoc, principium esset debet vere, principiatorum author, et effector sit, necesse est. Et principiata omnia, a principio erunt principiata. Quæ si ita sint, principium hoc, ultra ne omnem principiatorum numerum erit? An unum erit, e principiatibus? Si hoc detur, et principium erit, et principiatum. At si principiatum est, principium iam non erit. Neque etiam erit primum, et ante ipsum qui a sit principiatum, aliud necessa est esse, quod eius sit principium. Atque ita quæstio abierit in infinitum. Si hoc non conceditur, principium ita erit principium, ut non sit principiatum. Et sit ultra principiata omnia. At si ultra omnia est, quo modo, eo, omnibus non annumerato, nec connumerato, et ab eis absente, omnia dici poterunt omnia? Omnia namque, ea videntur esse, quibus nihil deest. At his principium deest, quia cum eis non est, neque in ipsorum numero est comprehensum. Vel ipsum, cum omnibus esse dicemus? Et inter omnia? Vel omnia esse post ipsum, ut et omnia ab ipso? Sed si omnia ab ipso, et post ipsum: iterum quo modo sine ipso erunt omnia? Aut simpliciter omnia? Ad hæc, qui dicit omnia, multa dicit, sed finita. Nam si infinita diceret, non vere omnia diceret. Nihil ergo ultra, et extra omnia, videtur esse posse. Neque ergo hoc principium, extra, et ultra omnia erit. Ergo cum omnibus, in omnibus, et inter omnia. At si hoc, etiam omnium aliquid. At si hoc, non iam erit omnium principium. Atque ita, nullum prorsus erit rerum principium, et omnia principio carebunt. Et in infinitum quæstio hæc nos ducet. Et omnia erunt sine principio, et si hoc, etiam sine fine, et si hoc, infinita.

Rursus omne quod est, vel principium est, vel a principio. Ergo et omnia, vel principium sunt, vel a principio. Si omnia, sint principium, nulla erunt principiata. Si omnia, a principio sunt, principium cum omnibus non erit, sed extra omnia. Itaque cum omnibus neque est, neque cum eis in comparisonem venit. At si in comparisonem cum eis non, venit, cum eo nihil habent rei. Si nihil cum eo habent rei, ipsa non erunt principiata, neque ipsum eorum erit principium. Verum dubitationes hæ, nostrarum cogitationum sunt imbecillitates. Ipsum autem principium, et ultra principiata est, et cum principiatibus, et hæc in ipso sunt, et cum ipso, et ab ipso. Et modus est inveniendus quo ipsum